Quelle: https://manuscripta.at/?ID=46681
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Nes

datum uetus quod habuistis ab initio
Mandatum uetus est uerbum quod
audistis. Iterum mandatum nouum
scribo uobis quod est uerum & in eo
& in uobis. quoniam tenebre transi
erunt. et uerum lumen iam lucet.
Qui dicit se in luce esse. et fratrem
suum odit in tenebris est usque adhuc.
Qui diligit fratrem suum in lumine
manet et scandalum in eo non est. Qui
autem odit fratrem suum in tenebris
est in tenebris ambulat & nescit quo
eat. quoniam tenebre obcecauerunt
oculos eius. Scribo uobis filioli. quo
niam remittuntur uobis peccata uestra
propter nomen eius. Scribo uobis
patres. quoniam cognouistis eum qui ab
initio est. Scribo uobis adolescentes
quoniam uicistis malignum. Scribo
uobis infantes. quoniam cognouistis
patrem. Scribo uobis iuuenes. qua
fortes estis. et uerbum dei in uobis
manet & uicistis malignum. Nolite
diligere mundum neque ea que in mun
do sunt. Si quis diligit mundum
non est caritas patris in eo. quoniam
omne quod est in mundo concupis
centia carnis & concupiscentia oculo
rum est. et superbia uite. que non est a
patre. sed ex mundo est & mundus
transibit et concupiscentia eius. Qui
autem facit uoluntatem dei manet in
eternum. filioli. nouissima hora est.
et sicut audistis quia antichristus uenit
nunc antichristi multi facti sunt. Unde
scimus quia nouissima hora est. ex
nobis prodierunt. sed non erant ex
nobis. Nam si fuissent ex nobis. mane
bant utique ex nobis cum. Sed ut ma
nifesti sint quoniam non sunt omnes
ex nobis. sed uos unctionem habetis a sancto
et nostis omnia. Non scripsi uobis asi
ignorantibus ueritatem. sed quia scientibus
eam. et quoniam omne mendacium
ex ueritate non est. Quis est mendax nisi
is qui negat quoniam iesus est xpus.
Hic est antichristus qui negat patrem
et filium. Omnis qui negat filium
nec patrem habet. Qui autem confite
tur filium hic patrem habet. Vos quod
audistis ab initio in uobis permaneat.
Quia si in uobis permanserit quod ab
initio audistis et uos in filio et patre
manebitis. et hec est repromissio quam
ipse pollicitus est uobis uita eterna.
Hec scripsi uobis de his qui seducunt
uos. et uos unctionem quam accepis
tis ab eo maneat in uobis. Et non ne
cesse habetis ut aliquis doceat uos.
sed sicut unctio eius docet uos de om
nibus & uerum est et non est menda
cium sicut docuit uos manete in eo
et nunc filioli manete in eo. ut cum
apparuerit habeamus fiduciam et
non confundamur ab eo in aduentu
eius. si scitis quoniam iustus est. sci
tote quoniam et omnis qui facit iu
stitiam ex ipso natus est. III

Videte qualem caritatem dedit
nobis deus pater. ut filii dei
nominemur et simus. Propter
hoc mundus non nouit nos. quia non
nouit eum. Iam nunc filii dei sumus
et nondum apparuit quid erimus. Scimus